

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9168

Auteur(s) : Philippe, Rennes (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1179-1183]

Lieu d'émission : Rennes

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe évêque de Rennes fait connaître l'accord conclu entre Savigny et Geoffroy de Montfort à propos des dîmes de Quettreville-sur-Sienne et de Gouville-sur-Mer.

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

D. Paris, BnF, n.a. lat. 2500, n° XLVI, p. 266-268. Copie du XXe siècle

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Constanciensi, n° XLVI)

Texte d'après D

Omnibus in Christo dilectis ad quos littere iste pervenerit Philippus Dei gracia Redonensis episcopus in Domino salutem. Solent scripto concordie tradi ut tollatur in posterum occasio litigandi. Eapropter memorie pacem commendare decrevimus que inter monachos Savigneii et Gaufridum de Monteforti super ecclesia Keteville et ecclesia Govillevolente Domino nostra in presentia facta est in hoc modum : monachi Savigneii presentationem ecclesie de Govilla in perpetuum obtinebunt, Gaufridus vero de Monteforti et sui heredes presentationem ecclesie de Ketevilla similiter habebunt ; in utraque autem parochia dictarum ecclesiarum percipient monachi unam medietatem omnium decimarum frugum, scilicet leguminum, lini, cannabi, animalium, fructuum et lanarum, in parte vero Gaufridi et ejus heredum cedet altera medietas, salvis tamen in decimis Goville XX quartarios ordei Exaquiensis monasterii ; sacerdos monachorum et sacerdos Gaufridi juramento firmabunt tam monachis quam G. in his omnibus jus suum fideliter observare ; decimatores monachorum et decimatores Gaufridi fidem dabunt dictas decimas fideliter congregare ad locum de utriusque partis assensu assignatum, ibique duas in partes equas predicte decime dividuntur earumque medietatem unam monachi alteram G. quo voluerint deportabunt. Si veri Dominus qui operatur omnia in omnibus Gaufridi vel heredum ejus inspirante gratia cor et animum ad hoc induxerit ut suum jus sepedicte ecclesie de Ketevilla et jam dictarum decimarum elicui ecclesie vel alicui religioni dare velint, ecclesie Savigneii et nulli elii id donabunt. Monachi autem, accepti beneficii non ingrati quod religiosorum est hominum attendentes, quantum in obitu uni suorum fratrum exhibent tantum G. et sue uxori Gervasie eorumque liberis qui die quo facta est hec compositio nati erant in morte exhibebunt. Prior Savigneii Rainaldus ejusque confratres Maiguidus, Rogerus Destotevilla, Gauterius de Romagneio, Juhellus Caillou, Ricardus Bastardus litteras

sui abbatis et capituli de rati habitatione pretendentes, in verbo sacerdotis et monachi conduxerunt se pactum hoc fideliter servaturos et a suis firmiter servari facturos. Gaufridus vero sui que milites Robertus filius Hugonis, Willelmus de Gebreseio, Willelmus Prepositus, Ruelandus de Monte Orfin, Boterellus de Bosco Jagu, se predictam compositionel fideliter servaturos et a suis firmiter servari facturos in manu petri Redonensis archidiaconi de precepto nostro fide corporali firmaverunt. Ad uxorem quoque G. Gervasia(m) cum monachis et G. dictum archidiaconum et Sancti Melanii cellerarium Willelmum Bec mittere curavimus quorum testimonio et reclamatione cognovimus dictam Gervasiam suosque liberos Radulfum, Willelmum, Rollandum, Eudonem, Matildem et Amiciam huic concordie benignum prebuisse assensum et concessum. Si monachi vero et G. vel suorum aliquis inde cartas vel privilegia vel alia munimina habuerint, huic compositioni non obstabunt. Ut autem quod sic ante nos factum est ratum et inconcussum haberetur, cyrographum hoc sigilli nostri attestacione duximus roborandum. Actum apud Redones in nostra curia sub testimonio subscriptarum personarum. Gaufridi abbatis Mereleii, Girardi, Gervasii monachorum, Hamelini Redonensis thessaurarii, Hugonis cantoris, petri archidiaconi, Gaufridi de Sancto Ermagilo, Radulfi Bigoti, Hugonis filii Mathei, Gaufridi Roncini, Roberti Hurelli, canonicorum Redonensium, Willelmi abbatis Sancti Melanii, Gaufridi de Moisel, Guidoni de Sancto Laurentio, Stephani Mal Infantis, Johannis decani Castri Gilonis, Johannis de Levareio, Willelmi de Vira, Ausgeri, Willelmi de Monte Grimont, Gauterii Rabaste, Guidonis senescalli, Joscii de Cenomanis, Joscii fratris, Gaufridi de Monteforti aliquorumque multorum quos enumerare longum est et tediosum. Valet in Christo fratres.